Acad. Alb. Regim. 1882. II.

QVAESTIONES ORTHOGRAPHICAE LATINAE.

Disputatio

qua

orationes

ad celebrandam memoriam virorum inlustrium

Iacobi Friderici a Rhod — Friderici a Groeben — Ioh. Dieterici a Tettau

h. s.

in auditorio maximo d. XII Mai habendas

indicit

HENRICVS IORDAN
P. P. O.

Regimonti.
Ex officina Hartuugiana.

Quaestiones orthographicae latinae.

VI.*)

Catullum evolvo ab Aemilio Bährensio nuper editum: meis ipse oculis diffido cum poetam elegantissimum, Lucretio et Tullio supparem, non archaismi solum figuris tanquam veste horrida hirsutaque contectum, verum etiam pannis sordibusque aetatis barbarae deformatum incedere video. at enim ab hoc cultu Hadrianae quoque aetatis grammatici, e quorum manibus Catullum nos accepisse vir doctissimus arbitratus est, nimium quantum abhorrebant non nego Bährensium acumine quo pollet haud volgari multum profuisse Catulli emendationi: sed tamen curandum cavendumque est, ne quae ille contra certas scribendi leges novavit latius serpant eorumque testimoniorum quibus plerumque solis standum est auctoritatem sensim subvertant. nil dicam de monstro hoc scripturae

o culonia quae cupis ponte **loedere** longo

quod effecit editor e Veronensis libri mendis his oculoinaquae et ledere. quorum illud sola permutatione elementorum sexti septimique memorabile est: nam nil magis proclive librario fuit quam ut ex verbis uno tenore scriptis ocoloniaquae efficeret sensu plane neglecto oculo cetera. alterum hoc ledere vereor ne non magis priscae loedere scripturae vestigium servaverit quam illud penitet igitur in rhetoricis Cornificii IV, 10, 15, unde poenite igitur Baiterus restituebat. Catullo certe iucundissime levissimeque iocanti nequis calendariorum legum edictorum formam subtristem tribuat non vereor. sed aliud in promptu est exemplum admissae in contextum scripturae plane barbarae, quae iam nunc philologorum studiis insinuavit: quam quidem radicitus tollere in animo est. scilicet quod Bährensius ex altero eorum codicum, quibus solis diorthosin poetae niti existimat, cupide arripuit perīe, hoc est perimne sive peremne, id adeo placuit Sydowio, Catullianae dissertationis, quae Berolini a. 1881 edita est, scriptori, ut ascito Datani, quem ille abiecerat, testimonio — in quo peremne legitur — Veronensi archetypo tribueret antiquiore hac quam sibi finxit forma mire delectatus. finxisse dico: nam si solis haec forma librariis monachicis debetur eisque aevi recentioris, eodem videlicet iure antiquorum scriptorum verbis inserentur illa nichil, michi, aut etiam auctumnus, autor, quae omnia nunc quidem ab

*) Libet oblata hac scribendi opportunitate sive potius imposita necessitate incohatum olim in Herma Berolinensi opus continuare. quae ibi disputavi, ea posse ex parte ampliari consentaneum est. velut quod de vocabulo dilectus dixi, confirmatur titulis Africano C. I. L. VIII, 7036 dilec[tu]m aliisque quibus dilectatores commemorantur, inter quos qui solus videtur delect. scripturam exhibere, nunc periit. Item cottidiae scripturam tituli christiani a. 432 (ap. Rossium I, 677) asciscere potui: sed urgente itinere Romano nunc latius exspatiari non est in animo.

editoribus optimo iure spernuntur. neque enim bis terve, sed saepissime in lapidibus scripta extat vox perennis, at numquam peremnis. nam in titulo Ocriculano anni p. C. 341 peremne testimonium extare Forcellinius falso testabatur: perenne Marinius Arv. p. 582 dederat fide scilicet utique dignus. e ceteris testimoniis potiora componam. ac primum quidem inde ab aetate Antoninorum constanter sic scribebatur. imperatores Theodosius Honorius Arcadius perennes vocitantur in titulis publicis ap. Wilm. Ex. 1092. 1093. in titulo Diocletiani et Maximini C. I. L. VI, 773 apographa omnia exhibent ad perennem usum, item in Mediolanensi V, 5766 fonti perenni: archetypa autem exempla quae nunc quoque extant nymphis perennibus III, 3382 et fons perennis apud Lancianium libri de aquis p. 28. accedunt testimonia codicum Ambrosiani Persae Plautinae 330 Florentini Digesti XLIII, 12, 1, 2 itemque optimorum saeculi noni decimive librorum complura, velut Caesaris b. Gall. VIII, 43 Tullii Verr. IV, 48, 107 Lucretii I, 118. at haec omnia nihil probare de classicorum consuetudine erunt qui contra dicant. quid dicent de consuetudine temporum Senecae?

Nuper prodiit testimonium horum temporum, quod quoniam non uno nomine philologorum cura dignum est, integrum transscribam ex Actis academiae romanae Lynceorum quae Memorie inscribuntur vol. VI p. 245. inventus est in coloniae Iuliae Concordiae parietinis later coctus his litteris inscriptus anno p. C. 66:

SET VERA FIDES DVO CVM BONA CONSTENT
LIVOR INERS FAMA PERENNIS ERIT
IS PATERENTVR DVCERE VITAM
ET SPONTE MEA COMPONERE CVRAS

subscriptam anni supra memorati notam consularem [C. Lucio Telesi]no C. Su[etonio Pa]ullino cos feliciter enucleavit relationis illius scriptor Bertolinius idemque a Garruccio monitus indicavit tertium quartumque versum totos esse Aeneidos IV, 340. 341, secundi posterius tantum hemistichium Ovidii Amorum I, 10, 64; nam prius ibi sic conceptum: carmina quam tribuent. frustra fuimus ego quibusque haec communicavi pervolutando elegorum anno 66 p. C. antiquiorum reliquias, quibus primi duo versiculi possint esse deprompti. videtur igitur nescioquis distichon suopte Marte compositum Aeneidos versibus praefixisse; quod distichon, nisi in medio hexametro aliquid incuria omissum sit, ad hanc fere sententiam prope accesserit oportet:

lucida spe]s et vera fides duo cum bona constent,
tum tibi] livor iners, fama perennis erit.

his igitur qui Vergiliana addidit conexu sententiarum soluta haec

me si fata meis paterentur ducere vitam
auspiciis et sponte mea componere curas

nescio an vitam eo usque probe quidem sollerterque neque vero admodum feliciter peractam imperfecto testimonio et quasi suspiriis alto pectore ductis significaverit.

Sed ut redeam unde digressus sum: is est antiquorum de perennis scriptura testium consensus, ut vix erit quin praeter hanc a Senecae inde temporibus usque ad imperii Romani interitum nullam fuisse ultro fateatur. quodsi sola illa recentiorum codicum testimonia, quae sunt admodum frivola, pugnent pro scriptura peremnis, quid tandem habent quo se tueantur qui priscam huius vocabuli formam peremnis fuisse fingunt? nullum puto, immo hanc ipsam, quae nullo testimonio munita est, adhibent ad procudendum vocabuli veriloquium, veluti Usenerus musei rhenani XXX p. 209. iam vide mihi quid usus vocabuli doceat. ac pudet paene

provocare ad rem omnibus notam, perenne vocari quidquid per annum maneat. an vero cuiquam in obscuro est quid significet fons amnis aqua frons perennis? aquae igitur perennes sunt quae toto anno fluunt, cum torrentes repentinis multisque imbribus gignantur cito perituri; item frons perennis est quae toto anno viret aut quam per saecla duraturam esse poetae augurantur. apparet igitur perennis haud secus compositum esse ex substantivo annus et praepositione per atque extorris ex terra et ex aut pernix, perpes ex praepositione per et verborum quae sunt niti, petere radicibus, aut sexennis ex numerali et substantivo. prorsus igitur diversum est ab hoc perennis vocabulo illud peremne sacrificium quod solis augurum libris innotuit. hoc sacrificium dicitur factum esse quotienscumque amnis transiretur: quod si verum est, certe perenne vocari non potuit. itaque peremnis factum ex per et amnis ut perennis ex per et annus. quare siqui hoc quoque de quo agimus vocabulum peremnis scribendum esse contra communem antiquitatis consuetudinem contentant, demonstrent ipsum annus vocabulum amnus scribendum esse. quod cum olim fuerint qui ascito sollemnis vocabulo temptarent — cuius de scriptura rem omnem occupavit Corssenius Pronunt. I p. 275 nisi quod pravae scripturae solemnis exemplis unum alterumve addi potest veluti ex Ephemeride epigr. IV p. 353, 957 — nunc nemo sanus facile denuo susceperit post egregiam Corssenii disputationem Symbolarum postumarum p. 36 ss. intellexit enim primum sollemnis vocabuli usum prorsus alienum esse a totius anni quam Verrius Flaccus ei tribuerat notione; deinde rectissime siquid video Fickii sententiam amplexus est annus vocabulum cum gotico athn sociantis. hoc certum est nullis machinis posse annus vocabulo priscam scripturam amnus vindicari. quare qui peremnis scripturam veterum litteris nunc quoque inserent non solum lapidum usum constantem barbariae coarguant verum etiam rationem nihil probare autument.

Scriptum Regimontii m. Martio a. 1882.